

tur emendatio. Si vero sit voluntaria, (ut ignorantia in iudice) vel tolli potest, vel non. *Si tolli possit*, differenda est absolutio, donec tollatur. *Si tolli non possit*, differenda est, donec poenitens reliquerit occasionem.

6. Eis qui dant proximo occasionem peccandi, differenda est absolutio, donec scandalum prorsus absciderint.

7. Eis qui tenentur ad restitutionem notabilem, differenda est absolutio, donec restituerint; quod si restitutio non sit notabilis, absolvi possunt ante restitutionem, quam facere sincere promittunt. Quod si eam superiori confessione praeceptam, facere neglexerint, tunc non sunt absolvendi antequam restitutionem, ipsis possibilem, fecerint.

8. Eis qui inveteratas cum proximo inimicitias exercent, differenda est, donec ei se reconciliaverint.

9. Eis qui aliquod grave scelus perpetrarunt, absolutio, *saltem ad aliquod tempus*, differenda est, donec operibus probaverint contritionem, quae in iis, qui statim a patrato tali scelere, absolvi praesumunt, est maxime equivoca, cum tam ab infamia per peccatum contracta, vel confusione inde percepta, possit oriri, quam ex odio et detestatione peccati.

§ VII. De effectibus poenitentiae.

Quaeres 1. *Quinam sint effectus Sacramenti poenitentiae?*

Resp. Certum est, apud omnes, quod effectus huius Sacramenti sunt 1. Gratiae habitualis et sacramentalis infusio. 2. Omnis culpae remissio. 3. Condonatio poenae aeternae peccatis debitae, non tamen semper totius poenae temporalis. Verum utrum reviviscencia meritorum per peccatum mortificatorum sit effectus Sacramenti Poenitentiae, controversia est inter Theologos. Quare

Quaeres 2. *Utrum viva justorum opera, per peccatum mortificata, per subsequentem poenitentiam reviviscant?*

Resp. Reviviscunt. Nam Deus, peccatores ad poenitentiam invitans, *Joel. 2.* promittit se eis redditurum annos, quos comedit locusta, bruchus et rubigo, et eruca, id est, juxta interpretationem Patrum, omnia merita quae per peccatum amiserant.

Objicies. Ezequiel 18. de justo mortaliter peccante, dicitur: *Omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur. Ergo.*

Resp. Nego conseq. Nam Propheta loquitur de eo qui in peccato suo moritur: Addit enim, *in praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur.*

Quaeres 3. *Quomodo merita mortificata reviviscant?*

Resp. Reviviscunt juxta omnem gratiae gradum, quem ante peccatum habebant, et juxta totum jus ad gloriam quod merebantur, juxta illud *Ezech. 33. Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit; atqui multum noceret, si, &c.*

Quaeres 4. *Utrum peccata per poenitentiam dimissa reviviscant per peccatum subsequens?*

Resp. 1. Non reviviscunt simpliciter, quia vere et realiter fuerunt deleta, cum econtra merita non fuerint per peccatum deleta, sed tantum suspensa propter peccati impedimentum, quo sublato reviviscunt.

Resp. 2. Reviviscunt secundum quid, quatenus peccatum sequens ratione ingratitude gravius fit, quam alias fuisset: *Unde reatus eorum, ratione ingratitude, virtualiter continetur in peccato sequenti*, ait *Div. Thom. 3. p. quaest. 88. art. 2. ad 4.*

APPENDIX I.

De satisfactione per suffragia.

Nota. Conc. Trid. sess. 25. decreto de Purgatorio, et sess. 6. can. 3. definit: *Purgatorium esse, animas que ibi detentas fidelium suffragiis juvari.* Cum ergo suffragiorum communio supponat Purgatorium, ideo

Quaeres 1. *Utrum detur Purgatorium?*

Resp. De fide est dari, ut constat 1. ex Script. 2. Machab. 12. ubi Judas Machabaeus curavit offerri pro peccatis mortuorum sacrificium; additque Scriptura: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* . . . Christus, Matth. 12. ait: *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Ergo aliqua peccata remittuntur in futuro saeculo. . . . Apostolus 1. Cor. 3. ait: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, Purgatorii, ut interpretantur Patres.* . . . 2. Ex traditione: *Non Poterit a corpore egresus, divinitatis particeps fieri,* inquit S. Greg. Niss. orat. pro mortuis, *nisi maculas animo immixtas Purgatorius ignis abstulerit.* Et D. Aug. hom. 16. inter 50. dicit. *Qui temporalibus poenis digna gesserunt, per ignem quemdam Purgatorium transibunt, de quo Apostolus inquit, salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Objicies 1. Eccli. 11. dicitur: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Ergo non datur locus medius.

Resp. Nego conseq. Hic enim agitur de statu gratiae vel peccati in quo aliquis decedit: si in statu gratiae, nunquam eam perdet; si in statu peccati mortalis, similiter in eo permanebit, quia in inferno nulla est redemptio.

Inst. Psalm. 126. dicitur: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini.* Ergo, &c.

Resp. Nego conseq. Textus enim intelligitur de iis, quibus, post mortem, nihil luendum superest.

Objicies 2. Peccata venialia non possunt remitti post hanc vitam; nam poenitentia proprie dicta non habet locum post obitum; ergo.

Resp. Nego ant. Ad prob. *nego conseq.* Neque enim necessaria est poenitentia proprie dicta ad remissionem venialium; sed sufficit virtualis displicentia in hac vita, et poena purgatoria in altera, ut docet D. Thom. in suppl. q. 72. art. 4.

Quaeres 2. *Quid intelligatur nomine suffragii?*

Resp. Intelligitur, *translatio satisfactionum unius in alterum.*

Quaeres 3. *Utrum suffragiorum communio detur inter vivos?*

Resp. Datur: nam 1. unus potest orare pro alio, ut constat ex Job. ult. *Ite ad servum meum Job; ille orabit pro vobis.* Ex Apost. dicente, Rom. 15. *Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris.* 2. Unus potest satisfacere pro alio: *Adimpleo,* inquit Apost. Coloss. 1. *ea quae desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia:* id est, offerendo passiones meas pro Ecclesiae membris, ad hoc ut Christi passiones fiant illis in actu secundo utiles: unde in Symbolo Apostolorum *credimus communionem Sanctorum.*

Quaeres 4. *Utrum detur suffragiorum communio inter vivos et defunctos?*

Resp. Datur: nam 1. animae defunctorum orant pro vivis. Hierem. 15. legitur, defunctum Hieremiam pro populo multum orare: et Div. Petrus, Epi . . . cap. 1. ait. *Dabo autem operam, et frequenter habere vos post obitum meum ut horum (meorum documentorum) memoriam faciatis.* 2. Suffragia vivorum pro-

sunt defunctis ad satisfactionem pro poenis debitis, ut constat ex articulo de *communione Sanctorum*.

Objicies. Animae in Purgatorio spectant ad aliud forum: ergo non possunt a vivis juvari.

Resp. Nego conseq. Nam pertinent ad idem corpus, unde possunt a nobis juvari per modum suffragii, licet juvari non possint per modum sententiae.

Quaeres 5. *Quot requirantur conditiones in eo qui offert aliis suas satisfactiones?*

Resp. Requiritur 1. ut habeat intentionem suffragium applicandi alteri. 2. Ut opus sit voluntarium. 3. Ut sit factum in statu gratiae, si opus sit satisfactorium *ex opere operantis*: nam in opere satisfactorio *ex opere operato*, ut est Sacrificium Missae, non requiritur status gratiae, cum ejus valor non dependeat a probitate operantis, sed ex dignitate Sacrificii.

Quaeres 6. *Quot requirantur conditiones in eis pro quibus offeruntur suffragia.*

Resp. Requiritur 1. Ut sint viatores, saltem aliquo modo. 2. Ut sint in statu gratiae. 3. Ut culpa, pro qua exhibetur satisfactio, sit remissa. Porro his omnibus conditionibus positis, suffragia alicui applicata, ei prosunt infallibiter, quia applicatio ejusmodi pendet ex intentione applicantis, quasi solutio pecuniae ab uno facta pro altero.

APPENDIX II.

De Indulgentia.

Quaeres 1. *Quid sit indulgentia.*

Resp. Est, *relaxatio poenae temporalis pro peccatis jam quoad culpam remissis debitae, a legitimo ministro facta, per applicationem thesauri Ecclesiae*:... alia est *plenaria*, pro tota poena remittenda: alia *partialis*, pro remittenda tantum parte poenae debitae, talis est indulgentia 100. aut 7. annorum, 40. dierum &c. Item indulgentia vel est annexa personae, et dicitur

personalis, vel est annexa loco, et dicitur *localis*, vel est affixa rei, et dicitur *realis*.

Quaeres 2. *Unde hauriatur pretium indulgentiarum?*

Resp. Ex thesauro Ecclesiae, juxta illud Clementis VI. extravag. *Unigenitus*, de poenit. et remiss. *Unigenitus Dei Filius*. . . . *thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit*. . . . *quem quidem thesaurum*. . . . *per beatum Petrum coeli clavigerum, ejusque successores, suos in terris vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum.*

Quaeres 3. *Ex quibus coalescat thesaurus Ecclesiae?*

Resp. Coalescit primario ex meritis et satisfactionibus Christi infinitis; et secundario ex satisfactionibus Deiparae et Sanctorum, ut definit Clemens VI. et constat tum ex articulo fidei de *communione Sanctorum*; tum ex hac prop. Lutheri a Leone X. damnata: *Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum.*

Objicies 1. *Thesaurus ex Christi et Sanctorum satisfactionibus est Christo injuriosus; ergo, &c.*

Resp. Nego ant. Satisfactiones enim Sanctorum infinitis Christi satisfactionibus non ideo adjungimus, quod satisfactiones Christi se solis non sufficiant, aut quod augeantur satisfactionibus Sanctorum, absit; sed ideo adjungimus, ut illae non sint otiosae; ut Sancti hoc honore gaudeant; et ut efficacitas meritorum Christi magis elucescat, quae non solum per se possunt expiare peccata et reatus peccatorum, sed etiam efficere, ut merita Sanctorum vim habeant expiandi reatum poenae temporalis peccatis debitae.

Objicies 2. *Doctrina de communicatione satisfactionum alienarum, 1. evertit fundamenta contritionis, 2. promittit impunitatem pro peccatis; ergo.*

Resp. Nego ant. Nam 1. indulgentia solis contritis datur; 2. Hoc unum praestat, ut satisfactio illius, cui conceditur, satisfactionibus Sanctorum juvetur ex misericordia Dei.

Quaeres 4. *Utrum Ecclesia acceperit a Christo potestatem concedendi Indulgentias?*

Resp. Accepit, ut definiuit Concil. Constantiense, sess. 15. aduersus Wiclefistas, et Concil. Trident. aduersus Lutheranos et Calvinistas. Probatur 1. ex Matth. 18. *Amen dico vobis, quaecumque alligaueritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Hac potestate usus est Apostolus erga Corinthium incestuosum, cui, *in persona Christi*, reliquum poenae condonavit, dum rescivit ipsum de peccato doluisse, ac poenitentiam inchoasse. 2. Ex perpetua traditione, qua constat Ecclesiam potestate concedendi Indulgentias semper usam fuisse.

Quaeres 5. *Quinam possint dari indulgentias?*

Resp. Possunt summus Pontifex in tota Ecclesia, et Episcopi in suis Dioecesibus, *secundum limitationem sacrorum Canonum*, ait Martinus V. in Concil. Constantiensi, quae est ut non possint concedere, nisi Indulgentias unius anni in Dedicacione Ecclesiae, et 40. dierum in aliis temporibus.

Quaeres 6. *An aliqua requiratur causa ad concedendam Indulgentiam?*

Resp. Requiritur *causa pia et iusta*, ait Martinus V. Ratio est, quia Papa et Episcopi dispensatores sunt tantummodo, non domini Ecclesiae thesauri.

Hinc, ad valorem indulgentiae requiritur, ut causa quamdam habeat proportionem cum Indulgentia, quae conceditur, alias non esset iusta et rationabilis.

Dicis. Ex axioma, *Indulgentiae tantum valent, quantum sonant*: ergo non requiritur proportio causae.

Resp. Dist. ant. Tantum valent, quantum sonant, clave non errante, *conc.* clave errante, *nego.* Ut autem elavis non erret, requiritur, ex parte dantis, auctoritas et iusta causa; et ex parte accipientis, gratia sanctificans, et executio eorum quae in Litteris Indulgen-

tiarum praecipuntur.

Quaeres 7. *Quibusnam concedi possunt Indulgentiae?*

Resp. Concedi possunt vivis et defunctis, cum hac differentia, quod vivis dentur *per modum absolutionis iudicis*, defunctis vero, *per modum suffragii satisfactorii*, quia Ecclesia in eos jurisdictionem non habet. Ergo Ecclesia non ipsis immediate remittit poenam peccatis debitam; sed offert Deo pretium ex thesauro Ecclesiae ut ipse remittat poenam suae iustitiae debitam.

Objicies 1. Indulgentiae non prosunt defunctis.

Resp. Nego ant. Nam 1. Leo X hanc Lutheri prope damnavit: *Sex hominum generibus Indulgentiae nec sunt necessariae, nec utiles; mortuis, &c.* 2. Ex constanti Ecclesiae traditione.

Inst. Animae Purgatorii damnatae sunt definitive ad subeundas poenas Purgatorii; ergo &c.

Resp. Dist. ant. Damnatae sunt definitive conditionate, *conc.* absolute, *nego.* Damnantur ad poenas sub hac conditione, *nisi aliquis fidelis ipsis applicet Ecclesiae Indulgentias.*

Quaeres 8. *Quanam dispositiones sint necessariae ad lucrandas Indulgentias?*

Resp. Tres requiruntur, 1. *Ut lucraturus Indulgentiam praestet complete ea quae praescripta sunt a Superiore Indulgentiam concedente*; quia sub hac conditione est concessa. 2. *Ut sit in statu gratiae*; quia non potest remitti poena temporalis, nisi prius remittatur culpa. 3. *Ut habeat propositum efficax Deo satisfaciendi*; quia indulgentiae solis vere poenitentibus conceduntur, sed vera poenitentia essentialiter includit propositum pro viribus Deo satisfaciendi; ergo.

Quaeres 9. *Utrum omnia opera inuncta debeant impleri in statu gratiae?*

Resp. Requiritur equidem, ut ultimum opus impleatur in statu gratiae; quia eo instanti Indulgentia stum sortitur effectum; sed efficit ut alia opera inuncta fiant

animo religioso, vere poenitenti, et ab omni affectu lethalis peccati libero.

Quaeres 10. *Quid sit Jubilaeus?*

Resp. Definitur, *Indulgentia plenaria cum privilegiis annexis*: v. gr. absolvendi ab omnibus casibus et censuris reservatis, commutandi vota, et caetera quae in Bulla exprimuntur, quae ideo attente perlegi debet.

DISSERTATIO VI.

De Extrema-Uncione.

Quaeres 1. *Quid sit Extrema-Uncio?*

Resp. Definitur, *Sacramentum a Christo institutum, quo infirmi de vita periclitantes, per unctionem Olei, et orationem Sacerdotis, obtinent salutem animae, et sanationem membrorum, ubi saluti animae expedit.*

Quaeres 2. *Utrum Extrema-Uncio sit Sacramentum proprie dictum?*

Resp. affirm. Et prob. ex Script. Jacobi. 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei*; atqui illa Uncio habet omnia requisita ad rationem Sacramenti: nam 1. est signum sensibile, nempe, *Uncio et oratio*. 2. Habet vim producendi gratiam, *et si in peccatis sit, remittentur ei*. 3. Est a Christo praecepta, *inducat Presbyteros Ecclesiae*. 4. Est perpetua et constans in Ecclesia, ut constat ex perpetua ejus praxi, et constanti traditione Patrum: ad quem attendens Conc. Trid. sess. 14. can. 1. definit: *Si quis dixerit Extremam-Uncionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo promulgatum. . . anathema sit.*

Quaeres 3. *Quo tempore Christus instituerit Extremam-Uncionem?*

Resp. Plane incertum est; probabilius tamen est quod ipsam instituerit post suam resurrectionem, nam ex Trident. Extrema-Uncio est *Poenitentiae consummativum Sacramentum*; ergo probabilius est quod fuerit instituta eo ipso tempore, quod Sacramentum Poenitentiae, nimirum inter resurrectionem et ascensionem.

Quaeres 4. *Quaenam sit materia Extremae-Uncionis?*

Resp. 1. *Materia remota*, est oleum, et quidem olivarum, quod est oleum simpliciter dictum, sicut panis triticeus est simpliciter panis: item debet esse ab Episcopo benedictum, juxta illud Concil. Flor. *Extrema-Uncio, cujus materia est oleum olivae per Episcopum benedictum*. Idem habet Conc. Trident. potest tamen Sacerdos ex commissione Episcopi illud benedicere, ut constat ex praxi Ecclesiae Graecae, in qua simplices Presbyteri, (ex concessione saltem tacita SS. Pontificum, ut asserit Goarius, pag. 436.) oleum istud benedicunt, quam praxim approbavit Clemens VIII. an. 1595.

Resp. 2. *Materia proxima* est Uncio, *ungentes eum oleo*, inquit Div. Jacobus. Porro ad Sacramenti validitatem una sufficit Uncio, nam D. Jacobus Uncionis simpliciter facit mentionem, non plurium: ex praeepto vero Ecclesiae multiplex adhibetur, pro cujusque Dioecesis disciplina necessaria consulenda et religiose observanda, cum illam tacite saltem approbet Ecclesia universa.

Quaeres 5. *Quid facere debeat Sacerdos, quando oleum benedictum deficit?*

Resp. Debet oleo consecrato admiscere non consecratum; ex cap. *Quod in dubiis*, tit. *de consecr. Ecclesiae*. Ex illa enim unione oleum non consecratum consecrationem quamdam contrahit.